Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Epitome Legum Universitatis Rostochiensis Revisarum, Quae Bis Quotannis Publice Præleguntur

Rostochi[i]: Wepplingius, 1706

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791021645

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Leges etc
Academiæ Roſtochienſis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791021645/phys_0001
DFG

Universitäts-Archiv
Rostock, Sign. R I A 4

R I A 4

K. l. — 47. 1-69.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn791021645/phys_0002
DFG

16

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

RECTOR
ET SENATUS UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
CIVIBUS ACADEMICIS
S. P. D.

MAgna ſunt ornamenta Civitatum, copia rerum ad vitam tuendam neceſſariarum, opes, ædificia, arma, apparatus; ſed alia præſtantiora decora ſunt, nervi Legum, judicia, boni mores, quæ omnia Gorgias ψυχὴν πόλεως rectè appellat, quâ laborante Respubl. deficiat ac peſſum eat neceſſum eſt. Experta hoc eſt Pœnorum nobiliſſima Civitas Carthago, quæ armis quidem Româ ſuperior, at Legum obſervantiâ & cultu ſequior, paulatim elanguit, eviluit, & tandem ex hâc vel ſolâ cauſâ, ut Polybius refert, devaſtata & abſumta periit. Rectè itaq; Heraclitus Epheſius Cives monet, ut non minus pro Legibus, quàm pro mœnibus pugnent, cum absq; Legibus nulla Civitas incolumis eſſe poſſit, absq; mœnibus verò ſæpe florens exſiſtat, quod & Plato comprobat, dum eum Civem optimum eſſe ait, qui nullos triumphos Legum obſervantiâ glorioſiores duxerit. Unde etiam conſtitutionem primæ politiæ Judaicæ Summus ille Nomotheta JEHOVA à Legum rogatione cœpit, lapideis eas Tabulis digitis ſuis inſculpſit, inter horribilia fulgura & fulmina promulgavit, ſigillo comminationis vindictæ, & promiſſionis gratiæ munivit, ac voluit, ut in manibus, in fronte, in limine domus ſcriptæ conſervarentur, ut perpetuâ earum memoriâ ſui quisq; officii moneretur. Eodem modo Academia quoq; ſeu Respublica noſtra literaria Imperiali & Pontificia autoritate inſtituta, plurimis privilegiis dotata, peculiari juriſdictione donata, & à plebe ac populo diſtincta, à Legum rogatione cœpit, earundemq; obſervantiâ crevit, & in hunc usq; diem, licet variis perſecutionum flabris obnoxia, per Dei gratiam viget. Cum autem cuivis Magiſtratui, Cicerone teſte, incumbat, ut conſideret, gerere ſe perſonam Reipubl., debereq; ejus decus ſuſtinere, jura deſcribere, & ea, quæ fidei ſuæ commiſſa ſunt, meminiſſe: omninò noſtrarum partium eſſe duximus, Leges olim ab Anteceſſoribus noſtris non ex foliis Sibyllinis, ſed ab ipſo Decalogo depromtas, præſenti Academiæ noſtræ ſtatui accommodare, quarum Epitomen, hac ipſa Chartâ, vobis exhibemus, illisq; Juramentum ac Promiſſum in vim Jurisjurandi præſtandum, denuò reviſum ſubjungimus, ut ita ſinguli notitiam illarum habeant, atq; ad Obſervationem Legum, & Obedientiam Magiſtratui debitam obſtricti ſciant, ſe ignorantiam, in delictis contra Leges admiſſis, prout antea ſæpe factum, Jure prætendere non poſſe.

EPITOME LEGUM
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS REVISARUM, QVÆ BIS QVOTANNIS PUBLICE PRÆLEGUNTUR.

I. Pietas precibus & lectione S. Bibliorum exercenda; Fides Catholica S. Codice, Symbolis Oecumenicis, priisqve Eccleſiæ Scriptis aliis comprehenſa, piè amplectenda.

II. Nomen DEI ſcandalis, perjuriis, exſecrationibus, blaſphemiis &c. non prophanandum, atqve ideò nec Vadimonium ſeu Arreſtum, ſine Rectoris expreſſo permiſſu, deſerendum: ſed in hoc fides Magiſtratui data, & jurata ſervanda.

III. Sabbatum ſanctificandum, audiendæ conciones, ſanctisqve operibus vacandum. Ab omnibus negociis, qvibus prophanari dies Dominicus poſſit, in ſacrâ cumprimis æde, abſtinendum, & indecoræ ibi confabulationes ac deambulationes ſedulò cavendæ, unà cum hibernis concurſitationibus ad perluſtrandos eos, qvi è templis excedunt. Qvod ſeriò ſervari volumus.

IV. Magiſtratui Academico, Parentibus, Præceptoribus, fidelibus verbi divini Miniſtris (ex qvibus unusqvisqve certum ſibi Confeſſionarium eliget, & admonitus Rectori indicet) ſubjectio, obedientia, gratitudo, reverentia debita præſtanda. Legibus, Edictis & Programmatibus publicis, qvid ſive faciendum, ſive omittendum, præſcribentibus, obtemperandum. Ipſa Edicta in Publicâ Tabulâ reverenter habenda, & nullo modo vel violanda, vel refigenda. Igitur vi Edictorum

(1) Inſcriptio in Matriculam Univerſitatis, intra octiduum, apud Rectorem, veluti Caput Academiæ, ab omnibus Academiæ Civibus ſive petenda, ſive, ſi jam ante peracta ſit, docenda; non autem intra annum proximum, extra ſonticas cauſas ſi erit, nec ſine ſtudiorum ſpecimine, ſi ullo modo id fieri poſſit, à Studioſis diſcedendum.

(2) Omnibus exagitationibus tam advenarum, qvàm indigenarũ omnino abſtinendũ. Imperiũ in Commilitones non ſumendum, nec malè ſumentibus parendum: ſed æqvaliter ab omnibus & ſingulis Rector & Senatus Academiæ velut legitimus Magiſtratus agnoſcendus. De cætero Studioſis inter ſeſe ex æqvo & decoro agendum.

(3) Citato in judicium comparendum, & ſententiæ parendum.

(4) In Studia diligenter incumbendum, & diſcendum ante, qvod poſtmodum docendum.

(5) Legibus communis convictorii, ejusqve Inſpectoribus, ab unoqvoqve ejus Alumnorum obtemperandum.

(6) Ad Actus publicos, Disputationes, Declamationes, &c. Invitatione à Rectore vel Profeſſoribus facta comparendum.

V. A cædibus, & Commilitonum invaſione per manum, baculum, gladium, aliudve inſtrumentum, itemqve Vulnerationibus, Provocationibus, Duellis, eorumqve miniſteriis, nocturnis diſcurſitationibus, boatibus, injuriis, vi, fraude, ſeditioſis tumultibus, ædium oppugnationibus omnino abſtinendum. Præterea qvoqve

(1) Bombardæ, (ut diſcretio inter togatam noſtram, & ſagatam militiam ſit,) noctu cumprimis, in Civitate neqvaqvam diſplodendæ, ne ſub ſolennitatis qvidem prætextu.

(2) Controverſia inter Studioſum & Studioſum orta, ad Magiſtratum Academicum deferenda.

(3) Cum & ægrotantium pauperum Studioſorum, & mortuorum curam Rector & Concilium in ſe receperit, ad illud pietatis & charitatis opus, ab unoqvoqve inſcripto, pro ratione facultatum liberaliter, opus cum fuerit, conferendum: Ipſaq; ſepulcra, à Studioſis popularibus qvondam comparata, iisq; dehinc etiam reſervanda, ſub Rectoris & Concilii autoritate ſemper relinqvenda.

(4) Gladium famulo ſuo nullus, niſi ejus rei privilegium ſit nactus, accingito.

VI. Occaſiones libidinum & intemperantiæ, morũ ſermonisq; ſpurcities, Cauponarum & Oenopoliorum freqventatio, helluatio, luxus veſtium (qvarum tamen nulla deinceps, qvoad illæ ingenuum modeſtumqve Civem Academicum decent, diſcretio eſto,) irruptio non invitatorum in nuptias, excitatio tumultus, omnis luxurians profuſio, larvata diſcurſatio, promiſcua Chororum Muſicorum (qvi ſine diſpenſatione Rectoris & Concilii interdicti ſunt) uſurpatio, Epularum Schoriſticarum & Sympoſiorum Nationalium, atqve Circularium inſtauratio, omnis deniqve petulantia, velut Chriſtiano, ac Cive Academico indigna, procul habenda.

VII. A furtis & defraudationibus qvibuscunq; cavendum, nec pecunia, libri, vel qvidqvam aliud ludendo in alterum transferendum, translatum vero reſtituendum. Creditoribus mercium tempeſtive; Hoſpitibus vero, pro convictu ſingulis menſibus, & pro locatione muſeorum & lectorum qvolibet ſemeſtri, (niſi aliter convenerit) ſatisfaciendum. Doctores tandem conſtituto collegiis honorario neqvaqvam defraudandi. Et, ut qvisq; ſciat, qvousq; moderamen in credendis mercibus judicii cauſa ſit poſitum, hoc loco ad communem obſervantiam repetimus ſeqvens Statutũ jam olim promulgatũ: Si Inſtitores ultra viginti (Mecl.) floren. Aurifabri, Stannarii, Oenopolæ, Caupones, Sartores, Sutores, aut hujus generis homines alii ſupra decem ejusdem monetæ florenorum merces, vinum, cereviſiam, aut qvidvis aliud in hac Academia Studentium fidei poſthac exponant, actio contra Studioſos in tali caſu à Magnif. Rectore minime admittenda, ſed rejicienda eſt ad judicem illius loci, ubi Studioſorum parentes aut fundi exſiſtunt. P. P. Roſtochii ſub Sigillo Univerſitatis die 9. Aprilis 1655. Qvod & porro obſervabitur.

VIII. Veritas & ſimplicitas in omnibus doctrinæ & vitæ partibus amplectenda. Mendaciis, ſophiſmatibus, calumniis, fictis criminibus, famoſis libellis abſtinendum, nullius innocentis fama lædenda, Legi nulli fraus facienda.

IX. Affectus & cupiditates dominantes, Antecellentiæ inprimis, Opum & Vindictæ, qvæ fontes ſunt omnium externorum ſcelerum, avaritia item, cœteræqve animorum peſtes, reprimendæ & compeſcendæ. Qvin potius partes officii à docentibus æqve ac diſcentibus fideliter obeundæ, ac decorum ordinis ubiqve ſervandum.

X. Omnes tandem vitioſæ inclinationes, & cœteræ voluptates ſupra non deſcriptæ, ſecuritas in proſperis, dubitationes autem & trepidationes in ærumnis, qvantum fieri poteſt, velut à Chriſtianis, coercendæ; mores deniqve ad normam Legum Decalogi omni ſtudio dirigendi.

PRÆMIA virtuti debita obedientibus promittimus, uti ſedulis qvoqve omnia officiorum genera, ſublevationem, promotionem, commendationem pollicemur.

PŒNAS refragantibus pro ratione delicti decernimus: ſicut & notoriam deſidiam, luxuriam, Studioſisqve indignam vitam, vel Parentibus, Tutoribus & Patronis pro re natâ ſignificaturi, vel debitis aliis modis vindicaturi ſumus. Et, ut graviores qvosdam caſus exprimamus,

(1.) Transgreſſoribus atrocioribus *Primæ Tabulæ*, perjuris inprimis, & blaſphemis; Delinqventibus item circa *Secundã Tabulã*, qvoad leges de Collegiis nationalibus prohibitis, omnibusq; adeo futuris Schoriſtis, Studioſos recens adventantes exagitantibus, ære emungentibus, & qvocunq; modo ad ſervitia cogentibus, vel indecore tractantibus, & ſub jugum qvaſi retrahentibus, item Edicta publica malitioſe in Tabulâ violantibus, & Libellorum famoſorum autoribus, RELEGATIONEM IN PERPETUUM AD INFAMIAM USQUE; Omnium vero illorum Coadjutoribus, Arreſti item violatoribus, duellantibus, & ad duella provocationis ſervitium præſtantibus, noctu globum, vel pulverem tantum pyrium ejaculantibus, (qvod ſi qvis die fecerit, bombardâ privandus, & præterea juſte multandus,) in domibus nuptialibus, Collegiis, Templis, aliisve locis publicis tumultus excitantibus, & poſt fidem datam ante debitorum ſolutionem hinc excedentibus, RELEGATIONEM pro gravitate facti, AD CERTOS ANNOS DETERMINANDAM, decernimus, hac lege atqve omine, ut PRIMÆ CLASSIS Relegationes non confœderatis tantum Academiis ad exſecutionẽ ulteriorẽ, ſed & Sereniſſimis Patronorum Aulis, & patriæ relegatorum per transmiſſionem Programmatum typis imprimendorum deinceps intimentur, atqve excluſi in hâc noſtrâ in confœderatis qvoqve Academiis excludantur. Expreſſe etiam ſeqvens Statutum volumus h. l. repetitum eſſe, qvod ſedulo ſemper obſervabitur: Qvi commilitonem præparatus baculo, flagello, vel gladio, ex qvacunqve cauſa invadit, hunc publice relegabimus; qvi vero contra Rectoris inhibitionem tale qvid auſus eſt, ejus relegationem publicam, typis exprimi curabimus.

(2.) Cæteris Prophanatoribus nominis DEI, Concionum & Sabbati contemtoribus, Inſcriptionem ultra octiduum differentibus, Rectori & Profeſſoribus debitam, inprimis ubi citantur, obedientiam non præſtantibus, prohibitorum actuum approbatoribus, Libellorum famoſorum deſcriptoribus, noctu diſcurſitantibus & boantibus, omni deniqve petulantiæ extra loca ſacra & publica admiſſæ, pro qvalitate facti, CARCEREM decernimus.

DEUS, qvi eſt DEUS Fortis Zelota, unicuiqve ſecundum opem ſua retribuet, Pietatem qvidem infinitâ benignitate compenſaturus; Peccata autem & in præſente vitâ gravibus, & poſt hanc vitam infernalibus pœnis ulturus.

JURAMENTUM STUDIOSORUM.

EGO N. JURO, (vel: STIPULATA MANU LOCO JURAMENTI PROMITTO,) qvod Vobis Domino Rectori Academiæ Roſtochienſis, & Veſtris in hoc officio Succeſſoribus obedire velim in licitis & honeſtis,

Et qvod velim obſervare ſtatuta, mihi & meo ordini præſcripta, & inpoſterum per Academiam ſtatuenda, & procurare ac promovere bonũ Academiæ, qvantum poſſum, & qvantum ſcio, AD QVEMCVNQVE STATVM PERVENERO. (SIC ME DEUS ADJUVET!)

Promitto item, qvod qvibuscunqve prohibitis Societatibus penitùs velim abſtinere, nec vel in alios ſtudioſos imperium ſumere, vel tale ſibi arrogantibus parere.

Et, ſi propter delictum per me commiſſum, aut propter inobedientiam à Rectore, vel Concilio Academiæ mihi mandatum fuerit, ut me pœnæ certæ ſubjiciam, aut intra certum diem, ex hâc urbe & Academiâ diſcedam, & ante terminum mihi præfixum non revertar, illi mandato absqve contumaciâ parebo, niſi ſuper decreto illo, & termino mihi præfixo per Concilium, ſive per Rectorem, mecum fuerit diſpenſatum.

Nec etiam hinc diſcedam, niſi legitimè ſatisfecerim Creditoribus meis, aut eorum expreſſam obtinuerim voluntatem.

SIC ME DEUS ADJUVET!

Roſtochi, A. cIↄ.IↄccVI. Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791021645/phys_0004
DFG

Universitäts
Bibliothek
Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn791021645/phys_0006
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn791021645/phys_0007
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn791021645/phys_0009
DFG

IV. Qui cantitantes vel vociferantes per plateas vagantur, vel in diuerſoriis publicis, immo & in tricliniis priuatis aera concentibus implent, prima quidem vice noxam octo dierum carcere, & commenſalis communis inſuper unius menſis carentia, luent. Quod ſi poſt hanc correctionem incorrigibiles ſe prodant, conſilio abeundi, [illegible]t, neceſsitas emigrandi eis imponetur.

V. Eidem poenae obn[illegible] qui nouitios vel directo cogunt, vel per ambages a[illegible]elliciunt ad conuiuium veteranis parandum, quo adue[illegible]odo pecunia emunguntur, ſed prauis quoque ſodalitii[illegible]r. Reliqui vero hoſpites, qui ſumtu nouitii epulati ſ[illegible] dierum carcere coercebuntur, iis, qui menſa commu[illegible], per octo dies inſuper ab iſto beneficio excludendis, [illegible]uenarum conuiuia, quo inebriationes & exinde oriund[illegible]ones & rixae tanto efficacius impediantur, abhinc pl[illegible]ita ſunto.

VI. Poenae legum tr[illegible]ous iudicialiter decretae a Rectore & Concilio nec mi[illegible]c mutandae, nec omnino remittendae, ſed ad tenor[illegible]ae, ſine vlla deprecatione executioni mandandae eru[illegible]

VII. Nocturnos ſtrep[illegible]s, tumultus & alia, quibus incolarum vel perſonae [illegible]untur, facinora, immo & clamores inconditos vel [illegible]ti iam ſeuerae leges inhibuerunt: ita earum violat[illegible]rubitoribus, quibus cura ſecuritatis nocturnae & tran[illegible]emandata eſt, deprehenſi cuſtodiae militari tradentur [illegible] manebunt, vsque dum Rector Academiae vel de e[illegible]iſsione, vel in carcerem acade-